







3,- 147.



M. Tuscher fecit

[illegible]

DE POTESTATE CLAVIUM AC DISCIPLINA ECCLESIASTICA

propositiones, quas Iohannes Albertius, Paulus Matthias, & Iahannes Sascerides, artium ac Philosophiæ Magistri publico in Theologia testimonio donandi, 29. Martij (volente Deo) defendent, Præsidente Nicolao Hemmingio professore Theologo.

EXCVSAE HAFNIAE ANNO
M, D, L, VIII

habita est hoc disp. pro Gradu Baccalaur. in Theologia Tres hi Candidati creati sunt d. 1 April. Theol. Baccalaurei a Hemmingio.

PROPOSITIONES.

I

Potestas ecclesiastica est, ecclesiæ diuinitus commendata facultas, eaq; spiritualis aperiendi & claudendi regnum cœlorum, illudq; iuxta regulam certam administrandi, quo homines in hac vita agnoscentes Deum, sint templum Dei, tandemq; resuscitatis corporibus, perpetuo Dei consortio fruantur in omni æternitate.

II

Hæc ecclesiæ potestas in scriptura nunc clauis scientiæ dicitur, interdum nomine clauium regni cœlorum designatur, vt Symbolo hoc, eius vis, ratio & vsus significetur.

III

Symbolica autem ratio hæc est: quemadmodum ei qui œconomus constituitur in aliqua familia, traduntur claues, quo omnia aperiat & claudat pro arbitrio domini sui, cunctaq; dispenset iuxta patrisfamilias præscriptum: Ita mysteriorum Dei œconomi, ecclesiam Christi, quæ ipsius est regnum claudunt & aperiunt dispensantq; omnia, pro arbitrio patrisfamilias Christi.

Scientiæ epitheton monet vim huius potesta-
tis in docendo veram scientiam, sitam eße, quæ
scientia à Zacharia definitur cognitio salutis
per remissionm peccatorum.

V

Regni cœlorum epitheton, vt potestatem
ecclesiæ a politica & œconomica distinguit: ita
eius proprietatem veram manifestat·

VI

Nam cum claues regni cœlorum hoc est
ecclesiæ, dicuntur, significatur quod illis aperitur
& clauditur, non regnum mundi sed regnum
cœlorum, idq; non pro œconomorum arbitrio,
sed iuxta patris familias dei præscriptam regu-
lam quæ est ipsius verbum.

VII

Cum autem constat regnum cœlorum ape-
riri & claudi prædicatione euangelii, constabit
& illud, claues regni cœlorum nihil aliud signi-
ficare posse quam munus & potestatem admi-
nistrandi ecclesiam Christi, iuxta euangelium.

Proinde

VIII

Proinde cum œconomi regni cœlorum, hoc est euangelij ministri, monstrant nobis viam & ostium apertum in cœlum per prædicationem euangelij, & nos agnitione viæ & ostij nempe Christi præditi, fide in ipsum recumbimus, dicuntur cœlum aperire nobis suo ministerio

IX

Rursus regnum cœlorum claudere dicuntur cum testantur iram Dei super illos manere qui contumaces in sua perseuerant incredulitate.

X

Hæc reclusio & occlusio regni cœlorum, solutionis & ligationis nominibus designantur, vt quanta sit huius potestatis vis intelligatur. Nam cum soluere dicuntur ministri verbi eos qui vinculis peccatorum in regno diaboli constricti iacent, quando annunciant solutionem hoc est remissionem peccatorum credentibus in Christum. At contra ligare dicuntur quoties peccatoribus annunciant peccata non remitti, donec in sua incredulitate perseuerauerint.

XI

Hanc esse veram rationem potestatis clauium ostendit missio apostolorum in mundum Sicut me misit pater ita ego mitto vos, dicit dominus. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, profecti igitur docete omnes gentes baptizantes ect. qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, qui verô non crediderit cundemnabitur,

XII

Aperiendi quoq; modus Act. 26. describitur his verbis: ad hoc enim apparuit tibi vt constituam te ministrum ac testem, & eorum quæ vidisti & eorum in quibus apparebo tibi, eripiens te à populo & gentibus, vt aperias oculos eorum. vt conuertantur à tenebris ad lucem, & à potestate Sathanæ ad Deum, vt accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter eos, qui sanctificati sunt per fidem, quæ est erga me,

XIII

In hisce Dei verbis sunt quinq; quæ huc faciunt 1. Paulus vocatur à Deo, constituitur

minister

minister & testis doctrinæ 2. Potestate hac instructus, dicitur aperturus esse oculos eorum ad quos mittitur 3. hanc oculorum apertionem, sequitur à tenebris ad lucem conuersio, & liberatio à sathanæ tyrannide, Vnde efficitur vt Deo restituantur qui prius sathanæ imperio mancipati fuerant 4. modus huius apertionis & liberationis explicatur, nempe per peccatorum remissionem 5. monet hanc remissionem peccatorum percipi fide erga Deum.

XIIII

Ex his promptum est colligere, primum quod hæc potestas alligata sit potius verbo quam personis. Deinde quod exerceri debeat iuxta normam Christi. Tum quod qui electus à Deo ecclesiæ minister, verbum Dei purum nullisque viciatum humanis commentis affert, is iure gloriari possit, se has ecclesiæ claues adferre.

XV

At contra, qui humanas traditiones, vt Papa princeps Synagogæ hypocritarum, proponit, aut sine verbo enthusiasmos iactat, frustra de his ecclesiæ clauibus gloriatur.

XVI

Papa enim cum in ecclesia non sit, nisi vt idolum in templo Dei, & verbum Dei pro nihilo habeat & quod Dei est proprium sibi arroganter ascribat, nullas claues nisi abyssi habere putandus est, quibus non regnum cœlorum sed scelerum potius & damnationis aperit, non quidem vt quemquam educat, sed potius introducat nunquam educendos.

XVII

Qui igitur claues papam habere regni cœlorum dicunt, & propterea se illi subijciunt tamquam vicario Christi, antichristiani potius quam veri Christiani dicendi sunt.

XVIII

Etsi autem ea quæ hactenus sunt dicta vtcumque nobis potestatem clauium deliniant, tamen vt plenior sit explicatio, distinctius partes huius facultatis, & ea quæ cum illa coniuncta sunt, excutiemus.

XIX

Eorum itaque sententiam amplectimur,

qui

qui in duobus vniuersam ecclesiæ potestatem sitam èße dicunt, nimirum in ordine & iurisdictione. vnde duplicem potestatem ecclesiæ faciunt, vnam ordinis alteram iurisdictionis. Sed vtraq; plures habet partes.

XX

Ordo duplex in ecclesia videtur omnino neceßarius, Personarum vnus, & administrationis spiritualis alter.

XXI

Personarum ordo in ecclesia semper fuit docentium & discentium, inter quos vt quisq; donis, vocatione, labore & rerum longo vsu emicuit: Ita dignitatis gradum cum in loco tum in sententia dicenda (absq; tamen omni dominio in reliquos) obtinuit.

XXII

Hunc ordinem qui ambitione abolere conantur, non solum superbi & arrogantes sunt,

verum etiam confusionis & ataxias in ecclesia patroni existunt, Nam ex illa confusione aliud sequi nequit, quàm ecclesiasticæ politiæ vastatio horrenda.

XXIII

Quare pietas ipsa suadet, amor ordinis & primitiuæ ecclesiæ exempla monent, vt alij præsint, alij subsint, quo synodi necessariæ conuocari posint, & petulantia ingeniorum coherceatur, ne licentia omnes reddantur deteriores, quemadmodum hodie (prodolor) fieri videmus.

XXIIII

Neque tamen ideo primatum Papæ reuocamus, sed iuxta consuetudinem veteris ecclesiæ pios, doctos & longa experientia comprobatos antistites præficiendos reliquis presbyteris, sicuti in hoc regno fit, iudicamus.

XXV

Ordo administrationis spiritualis, duas habet partes, vnam quæ est facultas claudendi & ape-
riendi

riendi regnũ cœlorũ iuxta præscriptum Christi alteram quæ regimen dicitur, quo reguntur & pascuntur recepti in Christi regnum, doctrina (cum qua τὰ προτρεπτικά coniungimus) Sacramentis & cæremonijs.

XXVI

Doctrina non aliunde petenda est quam ex scriptis propheticis & apostolicis, quæ doctrina vt dexterè applicetur auditoribus, necessaria sunt, τα προτρεπτικα hoc est admonitiones, obiurgationes, comminationes, consolationes, vt integer sit homo Dei etc.

XXII

Sacramenta cognoscit ecclesia Christi non alia communia & perpetua, quam baptismum & cœnam domini, ab ipso domino instituta, quæ sunt noui testamenti sacratißima eaq; efficacia testimonia.

XXIII

Hæc Sacramenta ecclesiæ Christi, Papa partim mutilat, partim abolet, partim fædis inficit traditionibus & additamentis.

Cæremo-

XXIX

Cæremoniæ quæ sunt ritus ad regendam ecclesiasticam politiam vtiles, aut decori aut odinis gratia institutæ esse debent.

XXX

Vt autem decori partes sunt duæ, prior vt excitemur ad pietatem illis adminiculis, posterior vt modestia & grauitas in pietatis tractatione eluceat: ita ordinis partes sunt tres, prima vt præsidentes habeant certam regulam agendi, secunda vt auditores assuefiant ad obedientiam & disciplinam, Tertia, vt benè composito ecclesiæ statu, paci & traquillitati consulatur.

XXXI

Has cæremonias non necesse est esse similes vbiq; in ecclesia, imo vtile est ad tollendam opinionem necessitatis & ad confirmandam libertatem Christianam diuersas esse, si modo hoc vbiq; seruetur, vt omnia ad ædificationem, ordinem & εὐσχημοσύνην fiant,

Non

XXXII

Non enim cæremoniarum similitudo, sed consensus in doctrina, in vsu sacramentorum, & obedientia erga euangelium, veræ ecclesiæ sunt notæ

XXXIII

Male igitur faciunt, qui damnant eas ecclesias, quæ eisdem nobiscum non vtuntur cæremoniis, cum tamen eundem cum illis deum inuocamus, vera in Christum fide recumbentes,

XXXIIII

Verum si fraudulenter papistæ vrgerent reformatas ecclesias, ut abolitos propter superstitionem ritus, natura tamen adiaphoras reciperent, iudicamus piorum pastorum officium esse, fraudibus istis se opponere, ne vel infirmi offendantur, vel fenestra aperiatur ad corruptelas in doctrina.

XXXV

Præterea eos quoq; male facere iudicamus qui nulla iusta causa moti sed tantum vt suo ingenio satisfiat, subinde mutant in ecclesia cæremonias.

Nostros

XXXVI

Nostros proinde episcopos & pastores rectius facere statuimus, qui ordinationem ecclesiarum danicarum cum suis caeremonijs, ut sanctam & piam, diuina autoritate & ecclesiae approbatione suffultam retinent, iuxtaque eam ecclesias administrant.

XXXVII

Iurisdictio ecclesiae est facultas iurisdicendi in ecclesia, cui quatuor rectè subijci iudicamus, quorũ primum est vocatio ministrorum, & ordinatio secundum, vocatorum exploratio. Tertium, doctrinae iudicium, quartum, disciplina, quibus accedit bonorum ecclesiasticorum administratio.

XXXVIII

Vocandi ministros ad functiones ecclesiasticas ius residet apud totam ecclesiam, nam iuxta apostolicam traditionem & exemplum, ecclesia congregata, hanc vocationem inchoauit à precibus, deinde suffragijs electum sistebant coram antistite & presbyterio, ut illorum

autho-

authoritate vel confirmaretur vel iustas ob caus-
sas improbaretur electio.

XXXIX

Antistes cum presbyterio doctrina & vitam vocatorum deligentissime explorraunt, ne contaminarent se alienis peccatis. exploratos autem & idoneos iudicatos, manuum impositione & precibus ministerio ecclesiæ consecrarunt. Hæc ratio cum vocandi tum ordinandi ministros ecclesiæ in ordinatione danicarum ecclesiarum iuxta apostolicam tradionem præscribitur,

XL

Portenta illa, cacozilla quadam Aaronica à papistis inuecta, per quæ missis celebrandis inaugurantur sacraficuli, vt cum apostolica traditione pugnantia & contaminantia fedè sacrum ministerium, exceramur, qualia sũt vnctio rasura & aliæ ineptæ cæremoniæ, quæ adhiberi solent in sacrificulorum initiationibus, vna cum impio cælibatus voto,

Quam

XXXXI

Quantum autem ad iudicium doctrinæ attinet, hoc in vniuersum tenendum est, quôd vt ecclesia habeat ius imo mandatum etiam approbandi & retinendi veram doctrinam: ita poßit & debeat omnem falsam & erroneam doctrinã improbare ac reijcere, sine omnium Synodorum expectatione.

XXXXII

Verûm in rebus dubijs, Synodi piorum doctorum ac longo vsu expertorum virorum censura expectanda est, & iuxta eam agendum, modô ex verbo Dei extructa demonstretur, quemadmodum Symbolum apostolicum & Athanasianum, item confeßio Augustana, quam ideo pios omnes recipere decet, quia ex verbo Dei euidentißimè extructa eße conuincitur.

XXXXIII

Qui autem illos pro hereticis habent & doctrinæ corruptoribus, qui confeßionem Augustanam incorruptam retinent, tranquillitatis ecclesiæ apertißimi hostes sunt.

Et